

erat pars diei. 14. Quarto modo, pro azymo, qui comedebatur, vel immolabatur. Quinto modo pro panibus azymis. Ad propostum sufficit primum membrum distinctionis pro solvenda auctoritate patris de Joani 18. & similiter pro secunda auctoritate. Hoc ergo simpliciter tenendum est, quod de necessitate panis consecrabilis non est, neque quod fit azymus; neque quod sit fermentatus: quia secundum Anf. in lib. suo de azymo, & fermentato non differunt substantialiter azymus, & fermentatus, & ideo non negamus vere consecrari Græcos. Quod etiam patet, quia tempore Leonis Papæ tunc constitutum, quod consecraretur in fermento, sed fuit ad tempus ad extinguendam hæresim fibonitarum, qui dicebant quod necessarium erat Christianos judicare, & per consequens Pascha litum in azymo consecrari, sicut fecerunt Judæi, & ad extinctionem hujus hæresis tunc ordinatum consecrari in fermento. Sed post hæresim illa extincta, reddidit Ecclesia occidentalibus ad primam consuetudinem, que conformis est institutioni Christi, & promulgationi facta per epus Vicarium Petrum. Sed de necessitate ministerii ad minus in Ecclesia Latina est hoc de consecrari in azymo, sicut dictum est supra ista distinct. de materia conveniente. Et forte etiam graviter peccant Græci, qui non se conformant Ecclesie Petri, maxime cum hic habeatur iundamentum solidum, quod fit Christus instituit istud Sacramentum celebrandum ad minus, licet non necessario, quin aliter fieri possit, tamen sic magis congrue celebratur.

QUÆSTIO VII.

Vinum solum vinum expressum de uva sit materia conveniens ad conversionem in sanguinem Christi?

AD secundam questionem, dico quod vinum artificiale, sive quodcumque aliud vinum, quod non est vinum vitis, utpote vinum pomorum, & hujusmodi, non est vinum nisi secundum quidam, & hujusmodi voce, unde nullum tale est aptum consecrationi in sanguinem. Principalis ratio est, quia fit Christus instituit. Bona congruentia, quia secunda pars principalis nutritionis, id est potus, principaliter consistit in vino, ut in potu principali, & de hoc habetur de consec. dist. 2. Vinum etiam illud debet expressum de uva quamvis enim liquor est in uva tantum, habet magis rationem comestibilis, quam potabilis. Illud autem Sacramentum pro secunda parte sui essentialiter continet sanguinem, & pro signo aliquo, quod est per se potus, & hoc habetur de consec. dist. 2. *Didicimus nos sequenti*, quod de impresso botro, hoc est, de utrumvis granis populus communicaret, valde est confusum; sed si necesse fuerit, botrus in calicem comprimatur. Hæc autem vim apponere equam non est simpliciter necessarium de necessitate Sacramenti, quia etiam quando apposta est, non convertitur in sanguinem, nisi prius fit conversa in vinum, & ita modica est apponenda, & ita tempore, quod ante consecrationem possit conversa fuisse in vinum. Græci etiam non apponunt aquam, ut

dicit

dicit In hoc de Officio Missæ p. 3. c. 4. vel s. est tamen de necessitate immixtæ propter perceptionem Ecclesie; & Christus vinum, cum quo fuit aqua mixta, consecrata vit juxta illud *Datu. lib. 4. cap. 1. Christus calicem ex vino & aqua tradidit discipulis suis, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus &c.* Congruentia appositionis aquæ in vinum est propter mystericum, ut significetur populus uniti Christo, juxta illud de consecr. distinct. 2. *Omne. Cum in calice aqua, vino miscetur, populus Christo unitur, id est, coglandus significatur per fidem, & dignam Sacramenti perceptionem.*

DISTINCTIO XII.

IN ista distinctione determinat Magister de his que remanent post consecrationem Eucharistia, & dividitur in duo.

Primo enim determinat de esse illorum accidentium, que remanent ibi sine subiecto. Secundo, de quodam transmutatione facta circa illa accidentia, scilicet fractione hostie in partes, ibi, *(Soler etiam quari, & Et iuxta illud incidenter determinat de significatione illorum partium, in quas irangitur hostia, ibi, (Quid autem partes illa significant.)* Sequitur illa pars *(Post hoc queritur)* que potest poni incidentalis in ista distinctione, vel principaliter divisa contra totam præcedentem partem. In ista enim determinat de Eucharistia sub ratione sacrilicij; postquam determinavit prius de ea sub ratione Sacramentali; & ista habet principalem, & incidentalem; que dividitur in duas, quarum prima pars est de institutione hujus Sacramenti, & sacrilicij ibi, *(Per institutum est)* (Secunda de perceptione; ibi, *(Si autem requiratur.)*

Circa istam distinctionem, querendum est principaliter de accidentibus remanentibus sine subiecto, & ibi tria. Primo de esse istorum accidentium. Secundo, de actionibus eorum. Tertio de transmutatione circa ipsa. Circa primum queruntur duo. Primo, an in Eucharistia fit aliquod accidens sine subiecto? Secundo, an quodcumque accidens remanens sit sine subiecto?

QUÆSTIO I.

Vinum in Eucharistia fit aliquod accidens sine subiecto?

AD primum arguitur quod non, quia sicut substantia convenit esse se per se, sic accidenti esse in alio. Hoc probatur, quia ens dividitur in ens per se, & in ens in alio: & primum membrum convenit substantiæ, & secundum accidenti; sed impossibile est esse substantiam, & non esse per se, sive esse in alio, quia quod vere est nulli accidit, primo *Phys.* ergo impossibile est esse accidens, & esse per se, vel non esse in alio.

Secundo sic, Posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter, s. *Met. c. de priori*; sed accidens est posterius essentialiter substantia ex 7. *Met.* Quia substantia est principium omnium entium

cognitione; & tempore; ergo impossibile est accidens esse sine substantia, cuius est accidens.

Tertio sic; impossibile est definitum esse sine definitione; & per consequens sine quocunque d. lineate ipsam; sed substantia d. lineat accidens ex 7. Met. c. 3. ergo &c. Si dicas major est vera de definitione pertinet ad quidditatem definiti, non autem de illo quod definit, ut additum, sic autem substantia definit accidens.

Contra; impossibile est, & inconpossibile relativum esse sine correlativo; tunc enim relativum non esset relativum; & tamen correlativum definit relativum, non ut aliquid de quidditate eius, sed ut additum; ergo major est vera de definitione, ut ad dictum. Hoc etiam confirmatur, quia si ad definitionem alicujus creaturae pertineret ipse Deus, non pertineret, nisi ut additum; & contraditio esset, quod definitum esset sine isto addito; nunc autem secundum Philosophos substantia est causa simpliciter necessaria accidentis, sicut Deus creaturae; & propter istam necessitatem causandi eade in definitione accedens, sicut tale additum, scilicet simpliciter necessarium, ergo &c.

Item; in Predicamentis album, & albedo idem significant, quia album solam qualitatem significat: ergo eodem modo quantitas & quantum: sed impossibile est esse quantum, nisi sit aliquod subiectum cui quantitas conveniat: ergo est impossibile quantitatem esse sine subiecto. Confirmatur, quia quando aliqua sunt omnino eadem, unum non potest esse sine alio: hujusmodi sunt quantitas & quantum. Oppositum dicitur in litera; & auctoritates Sanctorum que addite sunt *dist. precedente*. Item, per rationem, Accidentia panis manent; patet ad sensum, & non afficiunt Corpus Christi, quia illud non est quantum hac quantitate: sed nullo modo. Nec figuratum hac figura, sed figura corporis humani: nec est coloratum hoc colore, sed colore conveniente corpori humano: nec afficiunt aere, quia aer non est capax istorum accidentium, cum ista sint accidentia corporis mixti, & repugnans elemento, nec afficiunt substantiam panis, quia illa non manet, ut patet ex praedictis; ergo sunt sine subiecto.

Hic dicitur, quod cum unius compositi sit tantum unum esse, illud esse ex consequenti; & per accidens est cujuslibet accidentis illius totius; & per consequens si separatur accidens a subiecto, Deus dat sibi novum esse, quia non potest nunc habere esse totius, cui prius accidebat. Contra hoc, unum quodque quod est extra causam suam, & intellectum, sicut habet entitatem propriam, ita & proprium esse: ergo si accidens habet propriam entitatem essentialem extra subiectum, & intellectum, habet & proprium esse & ita non est formaliter per esse subiecti. Prima propositio supponitur hic eademque plana, alibi enim declaratur de esse, & essentia. Item, formam esse in materia de necessitate arguit compositum esse, ita quod impossibile est ponere primum sine secundo: sed per aliquam transmutationem naturalem forma est in materia, ut per alterationem, vel augmen-

mentationem: ergo per illam, & ab eodem agente compositum ex subiecto & accidente habet esse formale illius accidentis: sed non habet esse formaliter illius subiecti, quia illud praevit ante mutationem; ergo &c.

Item, si accidens quando separatur habet novum esse, oportet ibi ponere aliquam transmutationem a carentia illius esse ad illud esse: sed hoc est impossibile. Primo quia non potest poni que sit ista mutatio: non enim est generatio, quia accidens non est subiectum generationis. Nec est augmentatio, nec alteratio, non est acquirere quantitas, nec qualitas per istam mutationem, quia tunc vel qualitas esset subiectum augmentationis, vel alterationis cuius esse acquiritur, vel esset qualitas & quantitas, & sic de isto posset argui in infinitum. Item, esse illud novum, quia non est formaliter esse divinum, aut est proprie substantia, vel accidens, vel neutrum. Si in genere substantia, erit independens, & per consequens non erit formaliter esse alicujus accidentis: quia nullum accidens potest esse formaliter independens, vel per se esse. Si in genere accedens quomodocumque per reductionem erit aequae dependens cum forma cuius est, & per consequens per illud esse formaliter non erit illud, cuius est ens independens.

Aliter dicitur, quod quando accidens separatur a subiecto, Deus dat sibi quandam virtutem supernaturalem, per quam virtutem potest per se esse, licet sine ea non potest.

Contra istud secundum arguitur, sicut contra praecedens, ad minus quantum ad duo ultima argumenta, quia ista virtus adventiva est terminus alicujus mutationis; quare, cuius? ista etiam pertinet ad aliquod genus; quare ad quod? & arguitur ut prius.

Item, licet aliqua virtus supernaturalis detur alicui, tamen postquam inest, naturaliter est habenti eam habere vel posse habere illud, ad quod est illa virtus: sicut cecus, licet supernaturaliter illuminetur, tamen illuminatus, naturaliter videt; ergo licet esse miraculum in primo instanti conversationis istorum accidentium sine subiecto, quia tunc confertur accidenti ista virtus, tamen postea per istam virtutem erit naturaliter sine subiecto. Item, impossibile est substantiam accipere aliquam virtutem per quam dependeat ad aliquod, ut sibi inhærens; ergo impossibile est accidens recipere virtutem, per quam sit per se ens absolutum ab omni inherencia ad aliud. Probatur consequentia, quia ista per se esse, & inhærens, aequae appropinquat illis, scilicet substantia, & accidenti, hoc huic, & illud illi.

Ad Questionem, Respondeo, quod hoc vocabulum *accidens* potest accipi pro per se significato ejus, vel pro eo quod denominatur ab isto per se significato: ista distinctio est universalis in omnibus concretis. Ulterius accipiendo pro illo, quod denominatur a significato istius nominis, *accidens* potest accipi, vel pro absoluto, vel pro respectivo, sive respectu accidentalium. Secundum hoc erit habentur etiam quatuor membra, scilicet primum de accidente quantum ad per se rationem, quam importat accidens. Secundum, de eo quod denominative dicitur

tur accidens, & est absolutum. Tertium unumbrum de eo, quod denominatur dicitur accidens, & est respectum. Præterea hoc prædicatum esse in subiecto, vel non esse in subiecto potest accipi secundum aptitudinem, vel secundum actualitatem. Sit ergo prima conclusio, quod loquendo de per se significato accidentis, contradictio est ipsum intelligere non esse in subiecto: & hoc intelligendo uniformiter in subiecto, & prædicato, scilicet sit in actu, actu, & aptitudine, aptitudine.

Secunda conclusio, quod loquendo de eo, quod denominatur a per se accidentis significato, & est per se respectus, contradictio est, quod sit sine subiecto, & hoc actu, ita scilicet quod non actu inherere subiecto, extendendo subiectum ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus.

Tertia conclusio est quod illud quod denominatur a per se significato accidentis, & est quid absolutum, potest esse & non inesse subiecto actualiter, sed necessario inest aptitudinaliter. Prima conclusio probatur, quia per se significatum huius nominis *accidens*, est quidam respectus ad illud cui accidet, & forte idem respectus, quin importat hanc distictionem, *inherens*, ad illud cui inheret; & idem significatum est accidentis, & accidentis (ut ita loquar) & inherens & inherentiæ. Sicut ergo impossibile est accidentia esse, quin sit inherentiæ, si actu, actu: si aptitudine, aptitudine: ita impossibile est aliquid esse accidens, loquendo de per se significato, & primo huius nominis, quin sit inherens proportionaliter, hoc est, si actu actu; si aptitudine, aptitudine. Et si queratur ad quod genus pertinet illud quod per se significat hoc, quod est accidens vel inherens.

Respondetur, ad genus aliquod respectus extrinsecus adveniens: patet enim quod dicit respectum, quia non potest intelligi ratio eius ad se. Non autem dicit respectum intrinsecus adveniens, quia non necessario consequentem positionem extremorum: quia sicut patet in ultima conclusione, fundamentum eius, & terminus possunt manere sine isto respectu. Si queratur, ad quod genus? vide si forte ad genus Passivum, ut sic passio dicat, non tantum respectum passivi ad agens, sed ad formam; vel si forte ad genus Activum, ut sic actio dicat non tantum respectum agentis ad patientem, sed forma informans ad illud quod informat, sed utroque modo erit respectus extrinsecus adveniens. Et si obijcias, quod illud quod est determinati generis non potest competere pluribus generibus: accedens autem vel inherens, quantum ad per se rationem nominis, competit omnibus novem generibus: ergo &c.

Respondetur, bene potest, quod est determinati generis, denominare plura genera: forte eraturum dicit aliquod per pertinet ad genus Relationis, & tamen denominat quodlibet aliud a Deo, & solum illud aliud a Deo est proprie in genere: ergo potest esse respectus pertinere per se ad unum genus, & tamen denominative dici de relationibus, vel respectibus novem generum. Sed si contra hoc obijcias per Simplicium super Prædicamenta, quod *esse in*, non constituit

tuit aliquod speciale genus, quia unum *esse in*, est omnium novem generum, Respondetur, vel *esse in*, accipitur denominative, & sic circueit omnia genera accidentium, sicut hoc quod est inherere, vel accidere, vel accipitur pro ipsa habitudine per se significata per *esse in*, & hoc modo accipitur aliquod genus ab *esse in*, quia est species determinata in uno genere. Si autem intelligas quod *esse in*, quantum ad per se rationem quam importat, non pertinet ad aliquod genus determinatum, sed per se ad plura genera, negandus est novem est tamen auctoritatis, a quod propter dictum ejus debet concedi oppositum ejus, quod ratio concludit: ratio autem convincit quod ille conceptus quem importat *esse in*, potest quidem contineri in aliquo genere, licet denominative dicatur de formis, quæ sunt in multis generibus: non enim dicitur quidditative de albedine & nigra, & tunc enim albedo & nigra non dicerentur ad se, quia illud quod essentialiter includit respectum non est ad se secundum Aug. 7. de Trin. cap. 8. Secunda conclusio probatur, quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema; & ideo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, ita tollere illud cuius est respectus, est tollere respectum, & destruere rationem respectus. Non ergo, quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum, vel fundamentum; sed quia respectus est respectus: ideo requirit cuius sit, & ad quod fit etiam in divinis.

Si arguatur contra istam conclusionem, quod videtur contradicere præcedenti: quia secundum conclusionem præcedentem, ratio, quam significat *accidens*, vel *inherere*, est respectus extrinsecus adveniens: ergo non potest competere alicui respectui denominative: sic quia respectus non est subiectum respectus, nec fundamentum: sic enim esset processus in terminum, ergo paternitas, vel similitudo non potest inherere, vel accidere; quia inherere, seu denominari ab inherentiæ requirit quod denominatum sit subiectum, & fundamentum inherentiæ.

Respondetur, quod unus respectus bene potest fundari in alio, ut posterius in priori, sicut supra ratum est in quadam questione de characteribus: & probatur de proportionibus & proportionabilitate: & ita dico, quod sicut albedo potest denominari ab inherentiæ, sive ab eo quod potest accidere, ita potest paternitas denominari: & similitudo est denominatio quoad hoc utrobique, scilicet, quod prædicatum dicit respectum extrinsecus adveniens in ipso subiecto.

Sed si arguas, ergo ipsemet respectus inherentiæ denominabitur a se ipso, hoc solvetur in sequenti conclusione.

Tertia conclusio probatur, quia accidens absolutum, unde absolutum, non requirit terminum, nec terminus, quia tunc non est absolutum. Si igitur requirit subiectum, oportet quod hoc fit propter aliam dependentiam ad ipsum essentialiter: sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid, quod non est de essentia ejus, (sed tantum est ei causi extrinsecus,) nisi ad

causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet ad Deum. Subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset ens per accidens, quod est contra Philof. 5. *Met. cap. de Ente & cap. de Uno 7. Metaph. cap. 3.*, qui addendo alicui illud quod est de essentia eius, non habetur ens per accidens, præcipue si illud in se fit ens per se. Accidentis autem secundum se est ens per se secundum Philosophum 5. *Met. cap. de Ente*; unde & per se est in genere. Nec subiectum est causa extrinseca simpliciter prima, sed Deus præcise est iustissima causa, qui non est subiectum accidentis: ergo dependentia accidentis absoluti ad subiectum non est simplicitate necessitata: voco simpliciter necessarium ejus oppositum includit contradictionem. Major probatur, quia casualitatem ejusque causa extrinseca respectu casualitatis causæ. Perfecte supplere potest prima causa: quia habet in se omnem talem casualitatem eminentius, quam secunda causa.

Si dicas, subiectum esse causam materiale[m] respectu accidentis, & Deus non potest supplere vicem causæ materialis, sicut nec formalis. Contra, secundum Philosophum 8. *Metaph. accidentia non habent materiam ex qua*, (a) sed in qua: vel si habent ex qua, illud non est subiectum: quia subiectum cum accidente facit ens per accidens, ut dictum est: per se autem intrinsecam essentia accidentis, sive materia, sive forma non constituit ens per accidens, quia accidentis ut totum quoddam est; et ex omnibus pertinentibus ad essentiam ejus. Ex ista ratione patet, quare Philosophi dicunt quod accidentis non potest esse sine subiecto: non quidem quia ponentur subiectum de essentia accidentis, immo et eis constituitur ens per accidens: nec quia de essentia accidentis absoluti ponentur inhaerentia, vel respectum quemcumque ad subiectum: quia contradictio est quod in per se ratione absoluti includatur aliquis respectus, quia tunc esset absolutum, & non absolutum; sed tantummodo, quia ponentur ordinem causarum simpliciter necessarium; ita quod prima causa non potest causare casualitatem necessarium; ita quod accidentis, loquendo de ordine naturali causarum, & ideo sine ista causa in ordine suæ casualitatis posita, negarent accidentis esse: & pro tanto dicitur 1. *Physic.*, (b) quod intelligitur quærens segregationem passionum a subiectis, erit quærens impossibilia; sed non est impossibile, quasi includat aliquid repugnans primæ rationi, seu quidditati accidentis absoluti: nam tali impossibili posito nulla potest servari regula disputationis maxime quantum ad illa consequentia, quorum opposita includuntur in antecedente; patet enim, quod tunc tali impossibili posito, statim concedenda sunt contradictoria, & ita in proposito includitur maximum inconveniens, scilicet redargutio. ad quod duci potest respondens; summatem Philosophus 4. *Physic. cap. de Vacuo*, quærit istam questionem, si esset spatium, in quo

quo tantum esset color, aut sonus, utrum illud esset vacuum? & respondet determinate ad alteram partem questionis: quia si esset receptivum corporis esset vacuum, si autem ex primo intellectu ejus, quod est colorem esse, includeret ipsum esse in subiecto, cum subiectum ejus non posset esse, nisi corpus, ex primo tunc intellectu positi haberetur corpus ibi esse, & corpus ibi non esse, & ita illa hypothese posita respondendum esset statim quod spatium esset vacuum, & non vacuum. Illud dictum pro tanto adducitur, ut videatur Philosophum istam contradictionem nolle esse in prima ratione quidditative accidentis, sicut nec posuit esse in subiecto, esse de prima quidditative ratione albedinis: sed tantum est illa impossibilitas apud eum propter necessitatem, quam ponit in ordine causarum.

Contra istam conclusionem arguitur primo: quia si abderet subiecto, ut tu concedis, ista inhaerentia aut est de essentia albedinis: & habeo propositum, quod contradictio est, & prima contradictio subiectum esse sine predicato, aut non est, & hoc videtur inconveniens, tum propter auctoritatem, tum propter rationem.

Propter auctoritatem (a) *Philosophi 7. Metaph. in princip. Accidentis inquit fove alia a substantia dicitur entia eo quod taliter entis*: ergo formalis ratio entitatis in accidente est inhaerere taliter enti, id est substantia, & paulo post: *Nihil ipsum secundum se aptum natum*, (b) *nec possibile separari a substantia*. Multa etiam sunt ad hoc ibidem. Confirmatur per Philosophum 4. *Met.* ubi dicit, quod ens dicitur de substantia, & accidentibus, sicut sanum de sanitate in animali, & urina; sed nihil formaliter de urina sanum dicit, nisi habitudinem signi ad sanum dictum de animali; ergo nec ens dictum de accidente aliquid dicit, nisi habitudinem includens ad substantiam. Similiter in 7. c. videtur dicere, quod quemadmodum aliquid non scibile est scibile equivoco, & medicabile æquivoco, opus, & vas, ita & ista quantitas & qualitas dicitur entia.

Ratio autem ad probandum esse illud inconveniens, est ista: Inhaerentia, si non est de essentia albedinis, erit aliud, & inerit ipsi albedini, quia albedo dicitur inhaerens formaliter illa inhaerentia. Quæro ergo de inhaerentia, qui inhaeret inhaerentia albedini? ut ipsa est eadem albedini, vel ipsi inhaerentia; & pari ratione tui standum in primo: vel illa inhaerentia inhaerentia est alia a suo fundamento, & tunc erit processus in infinitum.

Præterea contra istam conclusionem est aliud dubium, quia ad minus relatio accidentis ad subiectum videtur esse eadem illi accidenti. Probatio, quia *libr. 2. dist. 1. dictum est*, quod relatio ejuscumque creaturæ ad Deum in ratione tripliciter causæ est eadem fundamento, sed respectus accidentis ad subiectum non videtur minus idem accidenti, quam ille. Quod probatur, quia substantia creata non definitur per ipsam essentiam divinam additam in sua definitione; quia tunc nihil posset habere definitionem in suo genere, cum Deus si extra

& tamen accidit propter suum respectum ad subiectum necessarium demitur per respectum ad subiectum ex 7. Met. 6. 3. ergo illo respectu ejus ad subiectum non minus est idem sibi quam respectus substantie creatae ad Deum. Item tertium dubium est, quia saltem si respectus albedinis ad subiectum sit alius ab albedine, non videtur esse posterior albedine: quia albedo non requirit respectum, nisi propter suum respectum; quem habet ad ipsum; sed si ille respectus est posterior albedine, potest albedo manere illo respectu circumscripto: ergo potest non dependere ad subiectum. Et ista ratio potest evidenter deduci de accidente, ut intellectu, quomodo in existentia, hoc modo: si albedo est prior illo respectu: igitur potest complete concipi sine illo respectu, & per consequens complete determinari, sicut prius sine posteriori; sed non requirit subiectum nisi propter illum respectum; quem habet ad subiectum ergo potest complete determinari sine subiecto contra Philosophum ut prius. Item, quartum dubium est, quia si inhærentia est aliud ab albedine, & posteriori ea; saltem videtur propria passio ejus, quia nihil videtur immediatè inhæreere albedini; quam habendo ad subiectum; sed subiectum per se esse sine propria passione includit contradictionem, alioquin nulla conclusio esse simpliciter scibilibus, quia quicumque talis prædicat passionem de subiecto; & per se nulla talis esset simpliciter necessaria, nec per consequens simpliciter scibilibus.

Ad ista, ad primum, nullo modo concedendum est inhærentiam esse de essentia albedinis, & quæstio hoc de hoc ab aliquibus videtur esse traxisset, & sine intellectu: est etiam aliquam evidentiam haberet quæretis. An illa ratio sit eadem albedini? non tamen propter hoc, an sit de essentia ejus? quia nihil est de essentia aliquid, nisi quod pertinet intrinsece ad quidditatem ejus: respectus autem albedinis, licet sit idem fundamentum, sicut dictum est de respectu creaturæ ad Deum, ubi supra, non tamen est de quidditate ejus, quia tunc nulla essentia creaturæ esset absoluta. Dico ergo negative, quod inhærentia, qua albedo inhæret subiecto suo, non est de essentia albedinis. Cum arguatur per auctoritatem Aristotelis, dico, quod nunquam hoc sentit, quod forma que per se est in genere absoluto, essentialiter includat respectum aliquem: ratio autem inhærentis non potest intelligi si quin intelligatur ratio respectus, nisi non intelligas quod dicitur per nomen. Auctoritas ergo prima adducitur ex æquivocatione illius vocabuli, *ea quod non enim semper eo quod est nota causa formalis illius, quod præcedit: nam ut dicitur 5. Met. cap. de in eo quod, Quoties dicitur causa, quoties dicitur inquantum, sicut in eo quod: talia possunt esse nota cuiusvis cause illius, quod præcedit, & ita cum substantia sit aliqua causa accidentis, licet non de essentia ejus, accidens est ens, eo quod est taliter ens, designando illam causalitatem in substantia, sed non propter hoc formale esse in entitate albedinis est esse alterius entis: sicut universaliter causatum a quacumque causa in quocumque genere cause est illud quod est, quia est taliter ens, id est talis cause in tali genere, & ordine*

cau-

causandi: notam in ista habendo ad quancumque causam est formale, vel essentialè in causato, quia tunc nullam causam esset formaliter absolutum. Aliqui etiam istum textum pervertunt accipientes quasi esse textus Aristoteli *Accidentia non sunt entia, nisi quia taliter entis*; quem propositionem nec Philosophus dicit, nec est ibi, nec sequitur ex propositione Philosophi. Nam *eo quod*, sicut in antecedente potest denotare quancumque causam illius, quod præcedit talem causam non tamen præcise, & per consequens non denotat talem præcisionem. Sed esto, quod in antecedente denotat præcise causam, sicut in consequente, nequa tamen propositio facit ad propositum, quod illa habendo, importat per *ibi taliter entis*, sit formale in esse albedinis. Sumitur autem *ibi taliter entis*, pro substantia, de qua præcessit sentio, vel totaliter entis, secundum aliam litteram, ita quod *totaliter* non dicitur ibi totalitatem universalitatis, quia tunc accidens esset ens universalissime accepti, & ita non est ens, sed totaliter totalitate perfectionis, & sic substantia est totaliter ens. Alia auctoritas, neque aptum natum, neque possibile, & alia que dicuntur ibi; præter, quousque Philosophus intelligit propter necessarium ordinem causati ad usum proximum, sed non habetur ex hoc, quod aptum ad causam proximam sit de non scibilibus. Auctoritas illa de quarto Metaph. & similis de 7. de non scibilibus, & scibilibus potest adduci secundum superficiem verborum, quod accidens nullam habere entitatem formalem, sicut veritas in urina nihil habet de ratione formalis sanitatis, & si ad hoc adducitur non est, nisi ignorantia vocabulorum. Parer enim quod accidentia sunt principia agentis, & principia cognoscendi substantiam, *ex primo de anima 1. c. 11.* & per se totaliter sensum, sed trussa est dicitur, aliquid esse principium agentis, vel actionis reali in materiam, vel actionis inoperationali in sensum, vel intellectum, & non habere aliquam entitatem formalem: ita enim dicerentur christiani agere, vel sentire. Trussa est etiam aliquid esse per se passionem agere, nisi ipsum habeat per se aliquid, quam contrahat, vel esse terminum aliquid motus, vel mutationis, nisi habeat aliquam entitatem: substantia autem omnis, si quas habeat passionem, sunt accidentia: si quis etiam motus est augmentationis, alterationis, & ubi, est ad accidens, ut ad terminum. Est ergo intellectus Philosophi in illis exemplis, non quod simile curat super quatuor pedes, quia secundum Damascen. lib. 3. c. 16. *Quod in omnibus est simile, idem utique erit, & non exemplum, & ideo prædicatur, non necesse omnino est, & indifferenter assignari exemplis: necesse est enim in exemplis, & simile considerare, & dissimile.* Ita dico quod ad hoc faciunt illa exempla Philosophi, quod licet deo essentialis est medicina ad animal in eo quod est dicitur: ita habendo essentialis est inter accidens, & ipsa enim, in habendo entitatem: sed non quod ille ordo essentialis ad subiectum sit de essentia albedinis, que habet illum ordinem, sicut ratio signi est essentialiter sanum, ut dicitur de vitiis: & ratio dissimilitudinis in hoc

est.

est, quia in urina non est aliquid forma absoluta, a qua dicitur sana, licet sit ibi aliquid absolutum, super quod fundatur ratio signi, utpote talis calor, vel talis digestio, & alia quae apparent ibi; sed iste ordo ad sanitatem est, quo formaliter dicitur urina sana; & ideo omnino aequivoce, quantum ad nomen *impositum* ab illo conceptu, quo animal dicitur sanum: quia licet sanitas sit eadem, quae est in animalibus formaliter, & quae significatur per urinam; tamen iantum *impositum* ad denotandum habens sanitatem formaliter, & habens eam, ut signum, est pure aequivoce: sed ex alia parte ens non est pure aequivoce: ut dicitur et alius, & in utroque extremo est aliquid absolutum, propter quod formaliter utrumque dicitur ens, licet super unum absolutum fundetur ordo ad aliud. Ad rationem illam dico quod inherencia inheret albedini; alioquin albedo non eilet formaliter inherens illa inherencia; & cum queris de illa inherencia, qua inherencia albedinis inheret albedini? Dico quod illa est eadem inherencia albedinis, & tantum ibi est status. Ratio hujus patet *lib. 2. dist. 1. qu. 5.* quia illa relatio est idem fundamentum, siue quia fundamentum esse includit contradictionem: huiusmodi est illa inherencia inherencia: quia contradictio est inherencia albedinis ad imperfectum esse actus, & non inherere actus, vel non habere inherentiam: similiter impossibile est, & contradictio esse in appetidine, quia & habet in appetidine; sed propter rationem oppositam nulla inherencia formae absoluta, est ibi eadem, quia non est simpliciter repugnans: illam formam simpliciter esse, & non inesse. Et per istud patet ad secundum dubium. Dico enim quod inherencia albedinis non est eadem albedini, & cum probatur per relationem creaturae ad Deum, dico quod non est simile propter maiorem potentiam prius ad istam conclusionem tertiam nullam enim relatio ad causam extrinsecam est identica causato, nisi illa, quae est ad causam primam, propter hoc, quod prima causa potest quodcumque causare sine quacumque alia causa extrinseca. Et cum arguitur de definitione, illud magis probaret accidens non debere definiti per substantiam, quia lapis per Deum non definitur, cum tamen Deus sit causa talis, sine qua impossibile, & contradictio est esse lapidem, vel equum: non autem sic substantiam respectu accidentis. Sed respondeo, identitas respectus ad fundamentum, vel non identitas non est ratio, quare terminus respectus cadat in definitionem fundamenti, ut additum. Quid ergo aliud? Respondeo, quod nec dependentia essentialis, & necessaria, est causa quod terminus dependentiae addatur in definitionem fundamenti dependenti: tunc enim Deus magis poneretur in definitione cuiuscumque creati quam substantia in definitione accidentis; causa est, quia nulla forma potest habere conceptum perfectum quietarium, nisi co-intelligatur illud cuius est forma: definitio autem exprimit conceptum perfectum definiti; & ideo quantumcumque essentialia forma exprimeretur in illo, cuius est forma, quantumvis quidditas eius indicaretur, non tamen eilet conceptus perfectus quietans intellectum, & ideo nec definitivus. Sed causatum, quod est

in

in se quoddam compositum subsistens ad concipiatur in se intellectus, ibi quiete, non requirens aliud co-intelligere. Et si obijcias, ergo par est necessitas formam substantialem definiti per additum, sicut & accidens. Respondeo, utrobique est necessitas. Patet per Philosophum de sensibus animam, 2. de Anima, ubi statim ponit corpus, quod est perfectibile ipsius, vel totum compositum, cuius ipsa est pars: nec aliquid ponit pertinens ad essentiam animae, sed tantummodo hoc quod est actus quod significat respectum animae, ad illud cuius est forma; non tamen est similis additio hic & ibi, quia in definitione formae substantialis additur aliquid quod facit per se unum eum ipsa; vel cuius ipsa est per se pars (quod dico propter modum diversam dicendi formam definiti, vel per materiam, vel per totum) sed in definitione formae accidentalis additur aliquid, cum quo non facit per se unum, nec cuius est pars per se. Ad tertium dubium dico, quod ille respectus inherenciae est posterior albedine, sicut universaliter respectus fundatus in aliquo est posterior fundamento. Et cum dicit, ergo albedo non necessario requirit terminum respectus, nego consequentiam: bene enim potest dependere aliquid a termino respectus, & tamen non dependere a respectu, si respectus est posterior eo; ita enim substantia lapidis non dependet a respectu lapidis ad Deum, sed magis e converso, si essent diversa: si respectus est posterior essentialiter a Deo, qui est terminus respectus. Ad illam propositionem, non requirit terminum, nisi propter illam respectum. Respondeo quod propter ut consequentiam necessario naturam fundamenti: sed non ut propter requisitum ad nam fundamentum tantum prius ipso, & quod licet propter, non oportet quod in eodem ordine requiratur, in quo requiritur terminus respectus. Per hoc ad sequens ibidem, quod tangit adhuc de definitione accidentis: concedo eum quod albedo intelligi potest quantum ad quodlibet, quod per se primo modo includitur in ratione albedinis, omnino nihil intelligendo de illo respectu, & cum dicitur, ergo potest definiti per essentialia: concedimus est quod bene potest assignari aliqua ratio per essentialia, indicans totam essentiam eius, sed illa non eilet definitio, quia non eilet expressiva perfecti conceptus: semper enim intellectus habens illam conceptum dependenter ad aliquid aliud terminans dependentiam illius conceptus.

Et cum arguitur, si respectus ille non necessario concomitatur ergo nec terminus respectus requiritur ad intellectionem alicui; nego consequentiam, loquendo de intellectu completo, & conceptu quietante intellectum: ad illum enim requiritur co-intelligi terminum, non tamen respectum ad terminum: & illud ultimum declarat totam istam conclusionem, & responsum ad tria argumeta praecedentia: quod enim inherencia respectus quidam. Ad quartum dubium dico, quod illa inherencia non est per se passio albedinis, sed est accidens per accidens: est enim respectus quidam extrinsecus adveniens, & hoc ad minus cuiuscumque accidenti absoluto, quia dicitur aequallem unionem illius absoluti ad aliud absolutum: omnis autem unio absoluti ad ab-

solutum

solutum est respectus extrinsecus adveniens; omnis autem talis respectus est illi cui inest accidens per accidens, sicut satis declaratum est supra in quadam questione, de characteribus, quia non necessario consequitur illud etiam positio termino: tunc enim esset intrinsecus adveniens; non enim potest aliquid respectus magis intrinsecus advenire, quam quod necessario consequatur fundamentum positio termino: si enim solum fundamentum positum una termino consequetur, non esset respectus. Illa autem proposito, quod scilicet omnis uno absolutorum est respectus extrinsecus adveniens, probatur quia neutrum ex ratione sui, nec ambo simul sine necessitate causa talis unionis: potest enim Deus sine contradictione facere utrumque separatim, & separatim conservare sine alio, pro eo quod neutrum illicum respectus alterius potest esse, nisi tantis extrinsecis & non prima; ita quod illud de respectu extrinsecis declarat, quomodo albedo potest esse in se inherens, sicut scilicet fundamentum sine respectu extrinsecis adveniens, vel quia terminus respectus non est, sicut in proposito: vel quia, si est, separatim est, sed illud de respectu extrinsecis tandem reducitur ad rationem adductam supra, ad probationem tertiae conclusionis, scilicet ad hanc propositionem: Deus potest quodcumque absolutum facere sine eo, quod non est de essentia eius; quia non dependet ab illo, nisi ut a causa extrinseca non prima, & omnis talis dependentia est contingens. Ad illam ergo probationem de passivis, quod immediate inest, posset dici quod si albedo habet aliquam propriam passionem, illa immediatus inheret sibi quam inherens illa. Illa enim necessario inest albedini, & hoc sine conjunctione subiecto, sive separata; inherens autem actualis tantum contingenter inest, & non ex natura albedinis, sed a causa extrinseca: non enim inest albedo se inherere, sed agens. Universaliter enim forma non generat effective, sed compositum; & sicut in composito per se uno, ita in composito per accidens: quod autem facit albedini inherere subiecto, facit compositum per accidens, scilicet subiectum album. Et si arguas quod pariter ratione nec reliqua patet, scilicet potentiale facit totum; & ita subiectum non erit principium effectivum unendi sibi aliquod accidens.

Hoc non est ad propositum. Solvitur tamen, quia subiectum bene potest virtualiter includere formam; & ita totum ex subiecto, & forma; non sic autem accidens; quia non includit virtualiter seipsum, nec subiectum, nec per consequens totum ex his: sequitur etiam naturaliter ipsum agens, cum sit terminus formalis, non ut autem subiectum. Posset alio modo dici, quod licet inherens in se immediate albedini, & aliis absolutis, non tamen sequitur quod magis ut per se passivo, nisi probetur illud fundamentum aliorum, quod accidens variabile non potest inesse alicui, nisi mediante accidente invariabili, sicut quod fundant magnam heterogenam de potentis animae. Sed unde probent, querant. Aliqua exempla adducunt, & principium non habent, sed oporteret videre aliquam rationem conjunctionis extremorum: si enim aliquid sibi dem rationis possit esse acci-

accidens inseparabile in uno, & separabile in alio, erit debile fundamentum, & istud non negatur de calore in igne & in ligno.

Ad argumenta principalia. Ad primum dico, quod accipiendo per se esse, & esse in alio univociter, scilicet prout per se esse negat amplitudinem ad inherendum, & esse in alio significat illam aptitudinem, sic illa duo proportionatiter conveniunt, primum substantia, & secundum accidentis; & tunc non plus sequitur, nisi quod accidens non possit esse ens per se, cui repugnet inherere: licet nec substantia potest esse ens cui conveniat aptitudo inherendi. Et ut veris aliter utrumque actualiter, scilicet actualiter esse per se, & actualiter esse in alio, dico quod ut sic non dividantur, nec inter propria illis dividuntur, scilicet in substantia & accidentis. Nec mirum, quia ex parte illius, per se primus intellectus inest secundam. Repugnancia enim ad inesse inest non in esse. Sed ex alia parte non sic, sed est fallacia consequentis; est aptum inesse, ergo inest. Et si quantitas de ista aptitudine inherendi vel inaptitudine quid sit, & qualiter se habeat ad albedinem, an scilicet inest sibi, & an par aliam inherentiam, & sic in infinitum. Si etiam quantitas de quantitate, vel etiam albedine per se existente, an habeat oppositum modum essendi illi, quem habet, quando est in alio. Et videtur quod sic, quia per se, & in alio, quomodo cumque accipiuntur sunt opposita inter se. Sed oppositum videtur, quia idem esse est, ut dictum est prius, & per consequens idem modus ipsius esse. Si tertio quaratur, an illud accidens ex sua aptitudine possit actualiter inesse, si fuerit substantia in actu, quae esset nata informati to. Ad primum aptitudo nihil aliud absolutum est a naturalibus, cuius est aptitudo. Quod non aliud absolutum, patet; sed nec aliud, ut respectus aliquis realis actualis: nihil enim dicit, nisi quod natura congruetur tale quid, id est natura competat illi naturae, seu non repugnat, quia haec natura est haec natura. Ad secundum dico, quod modi essendi possunt intelligi, vel quod variant ipsum esse, vel quod ponant aliquam diversitatem posteriori ipso esse. Primo modo sicut est idem esse accidentis in pane, & sine pane, ita idem modus essendi. Secundo modo variatur, quia esse illud in pane fuit subiectum causam respectus realis ad panem; quando autem est per se, privatur ipso respectu, & per hoc patet, quod dicunt invertem modum circa esse, ponendo respectum ad aliud & privando.

Ad tertium, patet ex illo quarto dubio, prius soluto, quia accidens non potest sic unire effective subiecto: unde si Deus reducere substantiam panis, & nihil aliud faceret, remaneret accidens sine subiecto, sicut modo nec uniret substantiam panis, tanquam formam per virtutem illius accidentis, dico effective. Et si arguas, miraculum est, quod inest; ergo cessante impedimento inherens, scilicet non existentia subiecti cessabit miraculum, & totaliter inest. Respondetur aliquid positum in esse miraculose permanset in illo esse, quousque ab aliquo agere transmutetur. Ad secundum dico, quod prius, & posterius possunt intelligi, vel actualiter, vel secundum

apud eundem. Si accipias uniformiter concedo, quod posterius naturaliter non potest esse sine prius; sed si accipias, quod posterius secundum aptitudinem non potest esse sine priori actualiter, nego: quod enim est prius aptitudinaliter, si non sit, non est prius: si istam sit, & tollatur dependentia posterius ad ipsam per aliquid aliud prius utroque, nec fit est actu prius: & hoc modo est in proposito, unde dico, quod illud accidens non est actualiter posterius ad substantiam panis, sed tantum aptum naturam esse posterius ad illud tantum ad aptitudinaliter prius. Et si arguas, nullum respectum specialem posterius habet ad Deum, quem prius non habuit; ergo non magis suppletur per actionem divinam illa prioritas panis nunc, quam prius & illud poster esse obiecto contra tertiam conclusionem principalem & contra probationem ejus, quando causa prima extrinseca potest supplere causalitatem cuiuscumque alterius cause extrinsece, quam non possit habere in se prioritatem causae secundae, nec potest consequi videtur terminate posterioritatem in causato, correspondentem proportioni illi prioritati. Respondet, unica prioritas illuminata potest terminare posterius finaliter. Contra, Non aliter terminat nunc, quam prius, sed non terminat totaliter prius. Respondet, aliqui respectus erant prius in posteriori, quod est fundam. verum, qui modo non sunt; & hoc est possibile, quia orant extrinsece advenientes isti fundamentis; illi ergo respectus prius erant terminati, & modo non sunt terminati: concedo, quia nec sunt, sed unus respectus, qui prius fuit terminatus ad simpliciter primam, est modo terminatus; & terminatio illius unius sufficit ad esse fundamenti talis respectus. Contra, Ergo illis aliis dependentibus non dependebat prius fundamentum essentialiter: quia sine terminis illarum dependentiarum primas respectus ejus ad simpliciter primam sufficiebat, & tollitur sufficiebat ad esse fundamenti totalis. Quod autem habet quidquid requiritur ad sui esse in priori signo, in secundo signo non dependet ad aliquid essentialiter. Respondet, illa deductio bene videtur tangere ordinem causarum secundarum & necessitatem illius ordinis; propter quem ordinem dictum est Philosophum negare possibilitatem separationis in proposito; vel si ille ordo non est necessarius, est difficile videre, quando causa secunda est causa effectus, cum illud non sit causa sine quo ab alio prius naturaliter causatum habet totaliter esse, de hoc quart. lib. 2. d. 1. g. 1. Ad tertium de definitione, responsum est, respondendo ad dubia nota contra tertiam conclusionem, Restat tamen ibi unum verbum, quia probatur quod illud quod cadit in definitione necessario requiritur ad esse ejus, sicut correlativum ad esse correlativum. Respondet, hoc ideo est, quia istud est relativum, nec est alia ratio quinse necessario requirit terminum: non enim quia accidens, immo si est esse relatio, & non accidens, sicut relatio in Divinis, adhuc requiritur terminum. Sed illud definitum de quo loquimur est absolutum. Ideo non requirit additum, sicut respectus terminum, sed sicut causam aliquam extrinsecam: & quilibet talis non necessitate requiritur, praeter primam. Ad quartum di-

co,

co, quod album potest intelligi dupliciter; uno modo ut impartat formam talem sub tali modo significandi; & hoc per se significat: unde secundum Philosophum in Praedicamentis, album solum qualitatem significat, quod verum est; tamen sub alio modo significandi, quam albedo. Alio autem modo ut communicet accipiendi per album, & huiusmodi concreta, totum compositum est subiecto & forma. Si primo modo, argumentum habet maiorem evidentiam, Nam de secundo modo patet quod non oportet, si albedo est quod album sit. Sed de primo modo dico, quod de virtute formae, nec oportet tunc concedere, quod si albedo est, quod album sit, quia est forma fit, quae apta nata est inherere subiecto, non oportet quod ipsa fit sub tali modo essendi, scilicet sub actuali inherencia ad subiectum, album autem, significat ipsam sub tali ratione actualiter inherens. Et si objiciat, quod nomen tam adiectivum, quam substantivum abstractit a tempore; ergo album non significat actum inherens formae ad subiectum, quia tunc significaret tempus praesens. Respondet, tunc concederetur, quod sicut albedo est, ita & album est: nec sequeretur; ergo aliquid tanquam subiectum est album: quia nec in antecedente hoc ponitur, neque per significatum, nec per modum significandi. Istud facilius concederetur de quantitate, sicut enim conceditur hic quantitatem esse, ita & quantum esse; nec tamen conceditur hic aliquam substantiam partem quantitatem.

QUESTIO II.

Primum quodcumque accidens in Eucharistia remanens sit sine subiecto?

AD secundum sic proceditur. & arguitur, quod in Eucharistia quodcumque accidens sit sine subiecto, primo sic: Quodlibet accidens est ibi sine substantia; ergo sine subiecto. Antecedens patet ex praecedente quaestione. Probatio consequentiae. Primo sic. *Metaph. Substantia est primum omnium ratione.* Quod probatur quia necesse est in cuiusque ratione, substantiae rationem esse, non autem cadit substantia in ratione cuiusqueque, nisi ut additum; alioquin illud non esset ens per se, in cuius ratione cadit, quod est contra Arist. *Metaph. de Ente,* non autem cadit ut additum, nisi ut subiectum. Hoc confirmatur, quia quando accidentia sunt in substantia, substantia terminat dependentiam cuiuscumque accidentis: sed non terminat, nisi ut subiectum; ergo Sec. Item, nullum accidens est subiectum alicuius accidentis in Eucharistia; ergo quodlibet est ibi sine subiecto. Consequentia patet, quia non est ibi substantia: Antecedens probat primo quia per Philosophum *4. Metaph. Accidentis inquit non accidit accidenti, nisi quia ambo accidentis eadem subiecto, nihil enim hoc illi magis, quam illud accidit huic.* Secundo ratione. tum quia sicut substantiae convenit per se esse, ita accidenti inherere; ergo sicut repugnat substantiae inherere, ita acci-

ciden-

accidenti per se esse, vel subsistere. Tum, quia quod terminat dependentiam aliquam non dependet dependentia ejusdem rationis, sed omne accidens dependet dependentia ad substantiam; ergo nullum determinat hanc dependentiam. Item, aliqui accidentis esse ibi sine subjecto; ergo quodlibet potest esse. Antecedens patet, quia accidens a quo primo natum est inesse substantiæ; non habet ibi substantiam, quia non est substantia ibi. Consequentia probatur, tum quia quodlibet accidens æque essentialiter dependet a subjecto, tum quia independentis necessarii, vel essentialibus est magis necessaria dependentia ad primum. Patet in causis, quia dependentia ad primam causam est simpliciter necessaria; ergo magis est necessaria dependentia ad substantiam, quam ad quocunque accidens: si ergo aliquid potest esse accidens sine dependentia ad substantiam, quia quolibet potest esse sine dependentia ad quodlibet subjectum. Item, quarto, magis videtur repugnare accidenti relativo, seu respectui esse sine subjecto, quam cuicumque alteri; sed istud potest esse sine subjecto; ergo quodcumque aliud. Probatio minoris: quia si repugnaret, aut ergo unde accidens, aut unde relatio: non unde accidens, quia tunc repugnaret cuilibet accidenti: nec unde relatio, quia tunc repugnaret relationi divinæ, quod falsum est: quia non in subjecto: & probatur, quia illa est infinita, & infinitum est per se ens. Prima propositio probatur, quia conditioes simpliciter perfectæ entis secundam quod ens, conveniunt eidem, ita quod una aliam inicit, sicut necessitas in se infert actualitatem, & infinitas necessitatem, & sic de aliis: ergo illud quod habet infinitatem, habet etiam per se esse, quæ est conditio nobilis in ente. Oppositum videtur per se manifestum, quia tunc oporteret dicere, quod in Eucharistia quilibet motus possibilis ibi esset sine mobili. Sequeretur etiam aliud, quod respectus esset sibi in fundamentum: est enim ibi æqualitas hujus quantitatis ad aliam quantitatem tantam; est ibi etiam similitudo istius qualitatis ad aliam qualitatem ejusdem speciei, & est circumscriptio passiva, sive locatio hujus dimensionis contentæ a continente; nec æqualitas per se est in quantitate, nec similitudo in albedino, nec circumscriptio in quantitate, & per consequens istæ relationes essent, & non in alio fundamento. Si consequens ens, non statim apparet inconvenientem, probat inconvenientem per hoc, quod nihil dicitur formaliter tale, nisi per aliquam formam sibi inherentem formaliter: hæc autem quantitas dicitur formaliter æqualis, & hæc qualitas istius, & hæc dimensio locata; ergo illud a quo denominatur subjectum, inest subjecto, ut formæ.

Hic sunt due opiniones extreme. Una, quæ ponit solum quantitatem in Eucharistia esse, & posse esse sine subjecto, pro qua sunt quatuor rationes. Prima est ista: Sola quantitas individuatur per se, & omnia alia accidentia per quantitatem; ergo si aliquid accidens esset, & non in quantitate, esset hæc, & non esset hæc. Item, si esset albedo separata a quantitate, esset sensibilis, & non sensibilis. Quod

Quod autem sensibilis, probò, quia esset per se de tertia specie qualitatis. Quod autem insensibilis, probatur, quia non quantum non potest sentiri; & hoc si negetur, probatur: quia secundum Philosophum de sensu & sensato: Si sensibilis divideretur in infinitum, virtus sensitiva divideretur in infinitum. Hæc contentia non valet; nisi secundum diminutionem sensibilis oporteret crescere virtutem sensitivam; ergo si improporionaliter est aliquid sensibilis minus, sentis esse improporionaliter; sed sensibilis indivisibile est minus improporionaliter (ut ita loquar) quocunque sensibili quanto; ergo virtus sensitiva aliqua potest esse improporionaliter major quacunque alia, Consequens est falsum; ergo &c.

Item, si albedo esset sine quantitate, esset qualitas spiritualis, quia indivisibilis, & esset qualitas corporalis, quia in tertia specie Qualitatis; & ita spiritualis, & non spiritualis. Item quarto sic: Si albedo esset sine quantitate, & per consequens spiritualis, non esset repugnans quin inesse spirituali, & sic spiritus posset esse albus: Rationes autem istæ non probant intentum. Prima non, quia nullum ens est singulare formaliter per aliquid alterius generis: sicut enim in quolibet genere est invenire supremum in coordinatione illius generis, & omnia media genera, & species: ita est invenire aliquid infinitum per se in illa coordinatione, de quo omnia prædicantur, & ipsum non de alio. Qualitas ergo, etiam quando est in quantitate, non est hæc per quantitatem formaliter, ergo si est causa est causa extrinseca singularitatis ipsius qualitatis, & qualitas potest esse singularis sine causa ista extrinseca. De hoc amplius habebat lib. 2. dist. 3. in questionibus de individuatione.

Secunda ratio, de sensibili, & insensibili, non concludit: sensibilis enim potest dici quod vel est in potentia remota et sentiat; vel quod est in potentia propinqua. In potentia remota est quicquid habet formam sufficientem, non tamen sub modo convenienti, sub quo oportet eam haberi ad hoc, quod sentiat. In potentia propinqua est, quod habet eam, ut statim cessante impedimento possit sequi actus. Ista distinctio declarata est. 1. lib. distinct. 7. de potentia generandi; & probata per auctoritatem Philosophi 5. 9. Metaph. Patet etiam per Anilem de lib. verb. cap. 4. ubi vult quod nullam potentiam habemus in nobis, quæ sola sufficit ad actum, sicut exemplificat de viis, qui non sufficit ad actum videndi sine objecto, & medio illuminato &c. Hoc modo albedo separata esset sensibilis accipiendo sensibile in potentia remota, quia esset forma, quæ secundum se esset motiva sensus, licet non sub illo modo essendi, & propter hoc non esset sensibilis potentia propinqua.

Nec propter hoc esset aliqua contradictio, sicut nec esset, si argueres de divisibili, & indivisibili: illa enim albedo esset divisibilis potentia remota, quia posset esse in quantum, & tunc esset in potentia propinqua ad dividendum: sed non esset divisibilis potentia propinqua, quando esset sine quantitate.

Et cum arguit: Si esset sensibilis: ergo sensus ille impropor-tionaliter excederet omnem alium sensum.

Respondetur, consequentia valet, si esset sensibilis alicui sensui in potentia propinqua, tunc enim ille sensus esset perfectior omni alio sensui secundum illam proportionem, secundum quam istud sensibile deberet ab aliis sensibilibus. Sed licet concedam, quod si sensibilis potentia remota: nullo tamen modo est sensibilis alicui sensui in potentia propinqua; & ideo non oportet aliquem sensum posse ipsam sentire sub isto modo essendi, nec per consequens excedere impropor-tionaliter alios sensus: hoc enim tantum sequeretur, si esset sensibilis in potentia propinqua, quia sic arguit ibi Philosophus de objecto sensibilis.

Ad tertium dico, quod esset simpliciter qualitas corporalis; quia esset apta nata simpliciter perficere corpus; secundum quid autem in corpore, quia non actu ens in corpore, sicut substantia corporea, licet esset sine quantitate, adhuc esset corporea; quia esset apta nata esse sub quantitate, Angelus autem non sic; est etiam indivisibilis actu, divisibilis autem potentia remota, vel appetidine, ut dictum est.

Ad quartum non habet apparentiam, quia sicut lapis non potest esse sapiens, quia nullo modo habet rationem receptivi respectu sapientie: sic Angelus non potest esse albus, quia nullo modo suscipitur esse forme hujus, sive ista forma poneretur divisibilis, sive non. Nunc quidem est duplex ratio, quare non potest esse albus. Una est extensio in ipsa forma, & inextensio Angeli. Alia ratio, quia hæc forma est hæc forma, & Angelus est Angelus. Et secunda ratio est essentialis ratio impossibilitatis: prima non; ergo prima ablata est possibilitas: nulla est consequentia. Contra opinionem etiam istam primam, quantum ad conclusionem ejus. Primo arguitur sic: Dependens ad primum est essentialiter, quam ad aliquid posterius loquendo de absolutis dependentibus, & terminantibus dependentibus; qualitas est forma absoluta, sicut quantitas: ergo essentialiter dependet qualitas a substantia, quam a quantitate. Si ergo potest esse qualitas sine dependentia actuali ad substantiam, potest esse sine dependentia actuali ad quantitatem.

Item, absolute, & perfectiori non magis repugnat per se esse, quam absolute & imperfectiori: qualitas est forma absoluta etiam secundum eos, & perfectior, quam quantitas: ergo &c. Probatio minoris quantum ad secundam partem.

Primo, quia qualitas est per se principium agendi actionem realem patet, & ipsi concedunt: quantitas non, quia nulla actio realis, ut hic loquimur convenit quantitati. Secundo, quia secundum ordinem substantiarum attenditur ordo qualitatum: substantias enim nobilioribus correspondent qualitates nobiliores: non autem sic correspondet ordo quantitatum: non enim semper nobilior substantia est major in quantitate: maxima enim corpora in genere corruptibilitatis sunt elementa, & tamen sunt imperfectissima: illud autem videtur perfectius, quod proportionaliter correspondet in sua perfectione per-

fectioni. Tertio, quia per qualitates substantie perfecta consequuntur fines suos: vel enim actus beatissimus est qualitas de quo tacitum est 1. libro dist. 3. vel si non, saltem secundum communem opinionem ad Beatitudinem requiruntur alique forme supernaturales, vel aliqua forma que est qualitas: quantitas autem nullo modo est substantia principium attingendi finem suum.

Quarto, quia quantitas sequitur compositionem ratione materie, qualitas autem ratione forme: forma autem est simpliciter perfectior materia 9. Metaph. cap. 2. Et istud ultimum ideo est ratio primi secundum, & tertii mediæ. (1. c. 7.) Propter hoc enim ordo qualitatum correspondet secundum perfectionem eorum substantiarum secundam perfectionem, & propter hoc qualitas est principium actionis realis, & etiam ipsi substantia principium attingendi finem suum.

Quinto, & quia quod magis convenit cum perfectione simpliciter, est simpliciter perfectius: qualitas autem (ut pote sapientia) magis convenit cum perfectione simpliciter, & simpliciter intelligere, & velle, quam aliqua quantitas, vel quia est ratio formalis sapientie divine, & sapientie create, que est qualitas secundum unam opinionem tacitam 1. lib. dist. 8. vel si non, saltem quantum ad omnem propinquitatem in analogia, major est propinquitas sapientie create ad sapientiam divinam, quam alicuius quantitas ad Deum, vel aliquid ejus. Unde sicut possibile est perfectionem simpliciter esse in creatura, scilicet cum limitatione, sapientia, que est qualitas eadem, est perfectio simpliciter habentis eam: nulla autem quantitas est perfectio simpliciter: nec etiam sicut possibile est creaturam habere perfectionem simpliciter. Contra istam rationem instatur sic: quia quod est propinquius perfectiori, est simpliciter perfectius: quantitas est simpliciter propinquior substantie, quam qualitas; substantia autem est perfectissima eorum: ergo quantitas est perfectior qualitate. Respondetur, si in primo perfecto concurrant simul multæ perfectiones, qualitercumque multæ, non tunc, modo aliquid forte potest esse ibi propinquius secundam unam perfectionem, & non secundam aliam, ut pote Deus est simpliciter necessarius esse, & hæc necessitas est in ipso perfecto simpliciter. Quanto ergo aliquid est magis necessarium, tanto erit propinquius Deo, & sic cælum est Deo propinquius quocumque corruptibili. Præter hoc autem Deus est natura intellectualis simpliciter perfecta. Huic secundum hoc magis appropinquat creatura meta intellectualis (hæc finita) cuiusmodi est natura angelica: post hæc natura intellectus nostri, licet non mere intellectualis, & finita: post hæc natura sensitiva, que magis appropinquat intellectuali quam non sensitiva. In hoc ergo ordine propinquius est Deo muca, quam cælum. Possit ergo inferri ex primo ordine, quod cælum est propinquius Deo, & per consequens perfectius muca. Ex secundo autem ordine quod muca est perfectior cælo, & ita opposita. Dico ergo, quod quandoque in primo concurrunt perfectiones qualitercumque distinctæ vel disparate: illud est simpliciter perfectius, quod est ibi propinquius secundum illud

quod habet rationem perfectionis sicut secundum Philosophum *Top.* 4. non sequitur simam esse meliorem equo, licet sit similior homini quia non est homini similior in conditionibus nobilioribus simpliciter conditio autem nobilior simpliciter in primo est intellectualitas magis, quam necessitas ostendi, eo modo intelligendo magis, quo est ibi distinctio, & ideo homo est simpliciter nobilior equo. Nec mireris talem ordinem diversum assignari ad primum secundum di. etas perfectionis, quia qualibet perfectio potest esse principium unius hierarchiæ naturalis, vel secundum Philosophos unius catenæ aureæ, & ita secundum diversas perfectiones simpliciter in primo participatas, ordinate a diversis possunt attingi diversæ catenæ aureæ. Ad propositum dico, quod substantia, ut est primum entium, est duplex ordo prioritatis; unus in substantiis aliis quod includit recipere alia, & perfecti ab eis: alius actualitatis intensivæ: & secunda perfectio est simpliciter major, quam prima, quia prima convenit potentiâli, vel saltem requirit illud cui convenit esse potentiale. Quantitas autem propinquior est substantiæ secundum primam rationem, quia immediatior secundam rationem receptivi. Qualitas autem secundum altam; ipsa enim est principium agendi, non sic quantitas: & secundum hoc apparet minor actualitas ejus.

Secunda opinio est in alio extremo, scilicet quod nullam accidentis potest esse subjectum alicujus accidentis, & per consequens in Eucharistia quodcumque accidens est sine subjecto. Pro ista opinione sunt rationes factæ p̄t̄ ad principale ad primam partem questionis. Contra istam opinionem arguitur primo sic: Illud est per se subjectum alicujus accidentis, de quo aliquid accidentis prædicatur per se secundo modo; sed de aliquo accidente prædicatur aliquid accidentis per se secundo modo, ut propria passio ejus; ergo &c. Probatio majoris: Illud de quo prædicatur accidens per se secundo modo, cadit in definitione accidentis, ut additum; et non nisi additum ut subjectum, quia nullam aliam dependentiam habet definitum ad tale definiens. Minor patet; quia universaliter omnes passiones demonstrantur in tota scientia mathematica demonstrantur de accidentibus; & per se secundo modo dicuntur de eis. Patet incipiendo a prima conclusione Arithmetica, vel Geometrica usque in finem, in tantum quod qualibet scibilis passio, æque tractetur de eo de quo fitur, si nulla est substantia corporata in universo: non enim minus triangulus habet tres angulos, &c. et si in nulla substantia esset triangularitas: nec minus possent tres linee esse latera trianguli æquilateri, et si nulla esset substantia subjecta eis.

Item; pro hoc est *Avicen. 2. Met. cap. 1.* ubi manifeste videt; quod aliquid accidentis est subjectum alterius accidentis: & exemplificat, sicut motus est subjectum velocitatis & tarditatis. Et hoc tertio apparet in proposito per istam rationem factam ad oppositum, quia manifestum est hic esse multas relationes, quibus aliqua referuntur, ut æqualitatem, similitudinem, & circumscriptiorem passivam: non autem possunt illæ relationes poni, & non in subjecto; quia

non possunt absoluta retineri illi relationibus, nisi illæ relationes essent for. nales in eis:

Ad Questionem ergo respondeo mediando inter opiniones prædictas. Attingendo de subjecto, prout accipitur pro ultimæ terminante illam dependentiam alicujus actus per accidentis: aut pro quocumque terminante illam dependentiam proximæ, et si non ultimæ: hoc est pro quo unius, cui alicujus actus potest inesse per accidentis, tantam formam ejus non faciens unum per se cum subjecto. Primo modo, planum est, quod nihil potest esse subjectum accidentis nisi substantia. Secundo modo, dico quod possibile est aliquid accidentis esse subjectum accidentis; et possit esse accidentis quodcumque absolute secundam opinionem, & possit esse accidentis quodcumque absolute esse sine subjecto retroque modo, sicut probant illa que adducta sunt contra primam opinionem; sed accidentis respectivum non est possibile esse sine subjecto secundo modo, quia non est possibile, quod sit respectus inter duo, quin fit alicujus, & ad aliquid: & hoc non ex ratione accidentis, sed ex ratione respectus: non potest autem esse respectus alicujus ad aliquid, nisi in illi, cuius est respectus: & ita si est accidentis in se sibi tanquam accidentis: & sic patet de possibili; quod accidens possit esse sine subjecto, & hoc, subjecto sic, vel sic sumpto. Sed de facto quid? Respondeo, accidens respectivum est hic in subjecto, secundo modo loquendo de subjecto, quia illius est habitudo ad terminum. Sed de absolutis diversimode opinantes, de quantitate respondent diversimode. Qui enim dicunt quantitatem esse aliam essentiam absolutam ab essentia substantiæ corporeæ; & qualitatibus, sicut dicit communis opinio, dicerent quantitatem hic esse sine subjecto; sed non qualiter, immo quod qualitas est in quantitate: & pro hoc est ista probabilitas; quia qualitas hæc est extensa, patet ad sensum: non est autem extensa essentia sine sine extensione, quæ sit intrinseca qualitati secundum illam opinionem, sed tantum per accidentis; sed omne extensum per accidentis, vel recipit extensionem in se, quæ extenditur per accidentis, vel recipitur in extensione; vel extenso: qualitas autem non recipit in se extensionem secundum istam opinionem: ergo est tantum extensa per accidentis; quia recipitur in extenso, & hoc concordat cum illo dicto in Prædicamentis, *cap. de Quantitate*, quanta est superficies tanta est albedo. Qui autem dicerent quantitatem substantiæ corporeæ non esse aliud ab essentia talis substantiæ; & quantitatem coloris non esse aliud a colore: dicerent quantitatem hic non esse in quantitate, immo magis quantitatem quæ apparet esse quantitatem qualitatis; sed de ista altercatione habetur *lib. 2. diff. 12. q. 1.*

Ad argumenta principalia. Ad primum concedo, quod quolibet accidens caret ibi subjecto aliquo, accipiendo subjectum primo modo, scilicet ultimæ terminans dependentiam accidentis. Nec plus probat illa ratio sumpta *ex q. Metaph.* Ideo enim in definitione omnium accidentium ponitur substantia, quia nullus potest haberi conceptus perfectus quietans intellectum sine additione substantiæ; sed

sed non propter hoc substantia est immediatum additum in definitio-
ne cuiuscumque accidentis; immo in definitione alicuius est immedia-
tum, tanquam proximum receptivum; in definitione vero alterius
est additum, ut mediarum receptivum, mediate terminans ejus de-
pendentiam, & immediate dependentiam alicuius alterius, ad quod
illud dependet. Ad secundum dico, quod accidens potest esse sub-
jectum accidentis, secundo modo accipiendi subjectum, licet non
primo modo. Ad auctoritatem *2. Metaph.* potest dici tripliciter.
Primo quod *ly quia non sit nota cause*, sed concomitantia, ut sic
semitis: non enim accidit accidens accidenti, nisi *quia*, id est quan-
do imbo accidit alteri: hoc enim erit necessarium apud Philoso-
phum, qui non repetebat accidens sine subjecto posse supponere
aliud accidens, ut dictum est in questione precedente. Secundo
potest dici, quod loquitur de accidentibus disparatis, licet præten-
dit exemplum sumi ibi: dicit enim album, & nigrum. Tertio
potest dici, quod illud non est dictum tanquam verum, quod acci-
dens non accidit accidenti, sed est dictum tanquam quoddam loquens
ex hypothesis; quam intendit ibi in probare. Arguit enim sic, si
contradictoria sunt simul vera: ergo omnis predicatio est per acci-
dens, & per consequens necesse est per dicationem in infinitum ire,
sed in infinitum non est veritas: *2. Metaph.* qui ubi non est aliud pri-
mum, non est aliud habitum; ergo nullum accidens habet or-
dinem per se ad aliud accidens; & per consequens non magis acci-
dens hoc accidens illi, quam e converso; & hinc modo exponendi
conferat littera. Non enim ait accidens non accidit accidenti, nisi
quia imbo eadem; sed accidens non accidit nisi accidenti, nisi quia &
per quod innuit, se illam propositionem asserere, non tanquam ve-
ram; sed ex prioribus; & hoc modo exponendo, magis potest ex
illa auctoritate oppositum concludi, quam propositum: erit enim
secundum istam expositionem illud illatum, tanquam inconveniens,
non a firmatum, tanquam verum.

Cum probatur per rationem de per se esse, & in alio esse, patet
r. in proposito ex questione precedente: quia eo modo; quo ista sunt
propria substantiæ, & accidenti, ita non potest competere acciden-
ti per se esse, nec subsistere, sicut nec substantia potest competere
inhabere: hoc autem est accipiendum *substantia*; & sicut competit ultimo
terminanti dependentiam inherens. Et cum probatur ultimo
per rationem dependentiam, quod non potest terminare dependentiam
eiusdem rationis, concedi potest omnino eisdem rationis; quia alia
independentia requiritur in terminante ultimo, que independentia
prohibet dependentiam omnino illi similem, que est ad ipsum: sed
dependentia que est aliquo modo eiusdem rationis non repugnat ter-
minanti dependentiam: sicut omnis creatura dependet ad Deum, &
hoc in ratione cause effectivæ, & tamen una creatura dependet ad
aliam, sicut ad talem causam; sed non ut ad causam omnino primam
effectivam, quæ est dependentia ad primum. Sic in proposito
omnia accidentia dependent ad substantiam, ut subjectum, primo
modo

modo accipiendi subjectum; & per consequens nullum accidens po-
test terminare dependentiam eorum, tanquam ultimata terminans,
quomodo pertinet ad substantiam terminare.

Ad tertium concedo consequentiam de possibili, loquendo de quocum-
que accidente absoluto. Si arguas de accidente respectivo per
hoc, quod dependentia ad primum est essentialior, quam dependan-
tia ad aliquid posterius.

Respondeo, dependentia relationis ad fundamentum est essen-
tialissima, ita quod sine ea non potest esse ratio relationis; si ergo sub-
stantia non potest esse fundamentum alicuius relationis, sed tantum
accidens, necesse est illam relationem essentialiter dependere ad acci-
dens, quod potest esse fundamentum huius, quam ad substantiam:
sed hoc est, non quia relatio est accidens, sed quia relatio est rela-
tio, ut dictum est in solutione precedenti. Ad quartum dico, quod
nullo modo relatio accidentaliter potest esse sine subjecto, accipiendi
subjectum secundo modo, quomodo fundamentum relationis acci-
dentalis est subjectum ejus.

Ad probationem autem per divisionem, aut in quantum relatio,
aut in quantum accidens, dico quod divisio non est sufficiens: est
enim dare medium, scilicet in quantum relatio accidentaliter: illa
enim relatio, que formaliter constituit suppositum per se, non est
in aliquo subjecto: quia suppositum per se ens non habet formale
inherens, proprie loquendo de inherente; quælibet autem relatio
accidentaliter est non constituit suppositum; & per consequens, cum
sola illa, que constituit suppositum, sit non inherens; ista erit in-
herens; & patet in aliis: multa enim sunt species, quibus aliqua
repugnant, non tamen repugnant per naturam unius communis re-
perti in eis, nec per naturam alterius, sed per naturam propriam,
que includit ambo ista conjuncta: Ut si diceret, homini repugnat
irritabilitas; aut ergo in quantum intellectuale, aut in quantum ani-
mal. Et si in quantum intellectuale, repugnet & Angelo: si in
quantum animal repugnet ravi. Dico quod neque sic; neque sic;
sed in quantum homo est animal rationale. Sic in proposito, in qua-
ntum relatio est accidentaliter, repugnat sibi non esse in subjecto acci-
piendi subjectum secundo modo.

Potest aliter dici, quod relationi unde relatio, repugnat non esse
in subjecto aliquo, extendendo illud ad fundamentum: nec enim
relatio divina est ita per se, sicut essentia divina est per se, scilicet
simpliciter ad se ens, nullo modo indigens ad sit esse alio quocum-
que. Nec est ita per se ens; sicut suppositum est per se ens; sed ista se-
cundum rationem formalem necessario est in fundamento, ut in præ-
supposito, & necessario est in supposito, ut vel in præsupposito, vel
ut formaliter per ipsam constituto.

Quod etiam probatur relationem esse per se, quia infinita; et si
consequentia posset concedi, tamen antecedens videret negandum:
nulla enim perfectione formaliter infinita caret aliqua persona divi-
na, quia tunc non esset simpliciter perfecta; sed quælibet caret ali-
qua

qua relatione originis; ergo nulla relatio est formaliter infinita; & hoc patet ex ratione perfectionis simpliciter, quia secundum Anselmum. *Morol. 15. (a) Est illud quod in quolibet melius est ipsum, quam non ipsum;* non autem potest relatio esse simpliciter nobilior suo opposito; quia relativa sunt simul natura. Quando ergo agitur: essentia divina est infinita, paternitas, vel relatio divina est essentia; ergo paternitas est infinita: est figura dictionis, sicut arguendo sic: deitas intelligit; paternitas est deitas: ergo paternitas intelligit. Et ratio huius facta est frequenter in primo libro, quia in abstractis bene potest esse predicatio identica; ubi autem predicatum est adiectivum non potest esse vera, nisi sit formalis. Si ergo major vera est formaliter; vel identice, non curio; & minor est tantummodo vera predicacione identica inferendo conclusionem, que non potest esse vera nisi formalis per adiectionem, utpote quia predicatum est aliquid adiectivum; in illa igitur interpretor identicam predicacionem minoris esse formalem, quia non potest inferri conclusio illa, nisi talis fuisset predicatio in minori. Et in illa interpretatione, que fit inferendo conclusionem est commutatio, sicut inferens ex premissis; Sortes est homo; & Plato est homo; ergo Sortes est Plato; interpretatur fuisse hoc inem hoc aliquid in premissis, quia aliter non posset inferre conclusionem ex premissis, & ideo quale quid commutatur in hoc aliquid. Sic in proposito essentia est infinita, est predicatio formalis, paternitas est essentia; est predicatio tantum identica; si iteratur paternitas est infinita, non potest esse predicatio, nisi formaliter; & illa non sequitur, nisi interpretando predicacionem in minori, que fuit tantum identica, esse formalem; & per consequens non sequitur, nisi commutando predicacionem identicam in formalem.

QUÆSTIO III.

Utrum accidentia in Eucharistia possint habere quicumque actiorem; quam poterant habere in subiecto?

Arguo quod non, duplici via. Primo, quod nullam omnino. Secundo quod non eandem. Ad primam conclusionem arguitur sic: Destructio priori essentialiter destruit posterius. Prius essentialiter est esse, quam agere: esse accidentis est inherere; ergo de destructo inherere accidentis, destruitur omne agere ipsum. Et confirmatur, quia inherere convenit accidenti; tanquam propria passio eius; agere autem in subiectum convenit sibi contingenter; tunc accidens per accidens. Item, agere per se est suppositi, ut ex 1. *Metaph.* habetur: accidens autem non potest esse suppositum; ergo &c. Confirmatur ratio secundum Boet. de Hebdom. dicentem: *In omnibus citra Deum, differens quo est, & quod est.* Forma ergo que nata est esse quo respectu actionis non potest esse agens: ergo præcise sup-

a B. *Quomodo intelligatur ista definitio, vide 2. dist. 1. & 8. & 1. & 5. qu. quæ.*

suppositum; quod natum est habere illam formam, & que, est, quo potest esse agens. Constat naturæ etiam per se in plura, quia enim anima est quo huius est homo, id est anima non potest esse homo; ita a simili forma que nata est esse aliquid agat, non potest esse agens. Confirmatur tandem specialiter in proposito, quia, scilicet hæc forma quantitas separata, non videtur formam naturalis; quantitates enim separata videtur pure mathematica; sed secundum Philosophum 3. *Metaph. in mathematicis non est finis, nec motus, nec bonum.* Ad secundam conclusionem, scilicet quod non omnis actio possit eis competere que prius, arguitur sic. Primo de generatione dicit Philosophus, quod oportet agens & patienti communi care in materia: sed substantia habens illa accidentia communicat in materia cum aliquo, cum quo non communiatur illa accidentia separata in materia; ergo &c. Item 6. *Met.* arguitur contra ideas Platonicas, quod idea non possit esse principium generationis compositi, quia est forma tantum, sicut Commentator pertrahit ibi rationem Philosophi, & valde male; ergo a simili in proposito forme illa non possunt esse principium, producenti compositum: poterant autem esse principium quando erant in substantia, sicut accidentia sunt principia producenti substantiam: ergo &c. Item ad principale, si accidentia separata possunt habere omne actionem sine subiecto, quam prius poterant habere in subiecto: ergo species intelligibiles separata ab intellectu, & caritas & voluntas separata, poterunt in eisdem actiones, in quas poterant quando prius erant in subiecto: consequens est falsum, quia tunc species intelligibiles separata possent intelligere; & caritas separata possent diligere & ita utrumque istorum possent esse beatum, vel simpliciter; vel quantum ad aliquam partem Beatitudinis, quod est impossibile; quia nec Beatitudo tota, nec pars eius potest competere alicui nisi nature intellectuali. Oppositum quod in aliquam eandem possunt, quia accidentia separata sunt sensibilia, patet ad eandem: possunt etiam alterare passiva sibi approximata, patet de modica aqua applicata speciebus vini; ergo in aliquam actionem possunt in quibus prius. Quod autem in omnem probatur, quia forma mens eadem in esse, habet eandem virtutem; & per consequens potest esse principium eisdem actionis; accidens separatum manet secundum se idem quod prius; ergo &c.

Hic est opinio (a) quod in actionibus naturalibus forme substantiales non sunt immediatum principium agentis, vel principium proximum activum: sed agunt indistantibus qualitatibus activis & passivis, tanquam propriis instrumentis, ut dicitur 2. de Anima quod scilicet calor naturalis est quo anima agit, & ideo qualitates non agunt in virtute propria, sed in virtute forme substantialis: unde actio earum non tantum terminatur ad formam accidentalem, sed sub-

a D. Thom. in 4. dist. 12. art. 1. quæ. 1. in sol. principi. & quæ. 1. in sol. 5. quæ. quæ.